



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CXLIII. Argumentum. In præsentī Decisione ostenditur Quanta sit Comœdiarum inhonestarum pernicies? Quibus motivis sit ab eis abstinendum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

DECISIO CXLII.

ARGUMENTUM.

Declaratur, Quid sit Accidia? Quæ, & quot ejus filia? Quæ, & quot damna ex ea procedant, potissimum in animarum Pastoribus? Quæ remedia adhibenda contra hoc vitium?

SUMMARIUM.

1. Accidia unde dicta.
2. Ejus definitiones plures.
3. Accidia filia sex, & quæ?
4. Accidia vitium est oppositum Charitati. Et cur?
5. Accidia præcipue grassatur in Parochis.
6. Diabolus quale thema dedit Clerico prædicaturo in Synodo?
7. Quæ remedia remedium quale?
8. Exempla famulantium Deo cum fervore.

Dixere studiosi nostri, Accidiam, seu Acediam derivari ab *A*, id est sine, & *Cedia* verbo græco, id est solitudine, quasi sine solitudine: vel ab *Acero*, seu *Acredine* juxta illud Prov. 10. 26. Sicut acrum dentibus, & fumus oculis, sic piger his, qui miserunt eum in via. Videlicet, sicut acrum infert nocumentum dentibus, sic accidia causat spirituale nocumentum animæ, id est acedinem quandam, ex qua tædet animam boni spiritualis, tanquam difficilis. Alenf. part. 2. q. 157. membr. 1. & Eminens. Cardin. de Lauræa in 3. lib. sentent. tom. 4. disput. 14. num. 103. & seqq. ubi num. 106. refert plures definitiones Accidia, ex SS. Patribus collectas, nempe quod sit Tristitia aggravans mentem, qua quis bonum inchoatum sustidit. Ex S. Joan. Damasceno lib. 2. Vel Torpor mentis, bonum inchoare negligentis. Ex Richardo de S. Victor. Vel quod sit Dissidentia implendi mandata ex Alenf. ubi sup. membr. 2. Et potest esse vel in parte sensitiva, & non est peccatum; vel in parte rationali, & tunc vel procedit ex malo corporali, & pariter non est peccatum, vel ex bono spirituali, & in hoc casu est peccatum, ut luculenter explicat Eminens. Cardin. de Lauræa dict. disput. 14. art. 6. num. 123. & 124.

Sex autem sunt ejus filia. Desperatio consequendi finem supremum. Pusillanimitas in exequendis Divinis consiliis. Torpor in adimplendis præceptis. Malitia, odio habendo bona spiritualia. Rancor, fastidiendo Superiores, & Religiosos. Evagatio mentis, se indevote gerendo in his, quæ spectant ad Deum. Cardin. Toletus lib. 8. cap. 80. Reginaldus lib. 17. num. 109. & Layman. lib. 2. tract. 3. cap. 9.

Damna sunt plurima, & ea omnia, quæ proveniunt ex otio, relata a SS. Patribus apud eundem Eminens. Cardin. de Lauræa dict. disput. 14. art. 6. num. 118. & seqq. ubi firmat, quod Accidia, quamvis opponatur Spei, & patientiæ, specialius tamen sit vitium oppositum charitati, quæ reddit facilia omnia difficilia; nam nihil Amanti difficile; sed Accidia econtra facilia apprehendere facit, ut difficilia. In Parochis vero, & animarum Pastoribus miserrime grassatur; ex eorum enim ignavia sequuntur perditiones Animarum, quas nec Verbo Dei erudiunt, nec Sacramentis pascunt, neque exemplo communiunt. Ideo Sacerdoti prædicaturo in Synodo diabolus dedit thema, ut gratias ageret toti Clero ob Accidiam, ex qua ipse lucrabatur infinitas animas, ut refert Cantipraten. lib. 1. cap. 20. & Paul. Segneri in Christian. instruct. part. 1. form. 14. num. 5.

Remedia plurima adducta fuere, quorum præcipuum, & cæteris efficacius est, considerare, cui servitur? Id est Deo; qui dignus est infinito obsequio, & qui liberalissime remunerat sibi servientes. Hinc omnes boni famulati sunt ei cum fervore, & absque Accidia. Israelitis dictum fuit, ut agnum comederent festinanter: Exod. 12. 11. Hospitaturus tres Angelos Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei, accelera, tria sata simila commisce, & fac subcinericios panes. Ipse vero ad armentum cucurrit. Genes. 18. 6. Pastores, audita nativitate Salvatoris, ut eum venerarentur, Venerunt festinantes, & invenerunt Mariam, & Joseph, & infantem positum in Præsepio. Luc. 2. 16. Zachæus vocatus a Domino, festinans descendit, & excepit illum gaudens. Luc. 19. 6. Deipara, omnium virtutum Magistra, ut visitaret Elisabeth, abiit in montana cum festinatione. Luc. 1. 39. Ipse Unigenitus Dei Filius, qui humiliavit semetipsum pro nobis, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, Exultavit ut gigas ad currendam viam. Psalm. 18. 7. Quare Apostolus non cognovit hac exhortationem majorem ad expellendam accidiam in Dei servitio, & ut fervore summo fidelium corda accenderentur, videlicet, proponendo Redemptoris exemplum dicens: Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen; aspicientes in autorem fidei, & consummatorem JESUM, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta. Hebr. 12. 2. Quare hæc, & similia attentè meditantes, potissimum Parochi, exuent se omni tepore; & in animarum cura erunt sollicitudine non pigri, Spiritu ferventes, Domino servientes. Rom. 12. 11.

DECISIO CXLIII.

ARGUMENTUM.

In præsentī Decisione ostenditur: Quanta sit Comædiarum inhonestarum perniciēs? Quibus motivis sit ab eis abstinendum?

SUMMARIUM.

1. Histriones unde dicti?
2. Histrionum species diversa, & quæ?
3. Comædia illicita quatuor ob causas.
4. Comædia diebus festivis facta causant inundationes, & tempestates.
5. Clerici Comici sunt irregulares.
6. Maleficium triplex.
7. Comædia excitant inhonestos amores.
8. Causant interitum animæ.
9. Comædiis obscenis nihil perniciosius.
10. Comædia auferunt attentionem ad animæ periculā.
11. Comædia fugienda ob tria motiva.

Doctiores in hoc amplissimo Clero, & eruditius calamis scribentes, præmiserunt: Histriones, qui in Scenis comedias, vel tragædias agunt, sic esse dictos vel ab Histrioniis, quas repræsentabant, vel quia apud Tuscos (undè a Romanis histriones sunt acciti) Ister idem significabat, quod Ludio, sive Ludius, ut Tit. Livius scribit lib. 7. post princ. Valer. Maximus lib. 2. cap. 1. & Plutarchus in Problem. Rom. cap. 7. Histrionum autem varias esse species, siquidem alii dicuntur Mimi, alii Pantomimi, alii Archimimi, alii Erhologi, seu Erhopoi, alii Timelici, & alii Chironomi, quorum significationem declarat Budæus in Pandectis in l. Athletas. ff. de his, qui not. infam. & Alexand. ab Alex.

Alex. *Dier. genial. lib. 6. cap. 19.* Prout etiam Histrionum alios vacasse ludis gymnics, & hi dicebantur Athletæ, luctatores, & Cursores, & Pugiles: alios ludis scenicis, qui erant Mimi, Pantomimi, & alii supradicti; quorum officium illicitum decreverunt esse tum leges civiles. *l. 1. in fine ff. de Servo corrupto. l. Imperialis. S. Praesente. C. de Nupt. l. Certissime 44. C. de Episc. aud. tum Sacri Canones, cap. Propterea 15. dist. cap. Presbyteri 34. dist. cap. Nullus 44. dist. cap. Non oportet dist. 5. cap. Donare 86. dist.* Ac propterea hos histriones detestati sunt SS. Patres, quos cumulat Paul. Segnerius in *Christiano Instru. part. 3. serm. 31. in princ.* D. Joan. Chrysost. *rom. 1. Homil. de David, & Saule:* & Petrarcha de *Remed. Utriusque fortun.* Intelligendi tamen de histrionibus inhonestas Comœdias facientibus; secus si opera moralia, vel pia præsentent. Glossa in *c. Cum decorem. Verb. Monstra larvarum, de Vita, & honest. clericor.* & ibi Innoc. Hostien. & Butrius num. 6.

Idcirco addidere; Comœdias esse illicitas 3 quadruplici de causa. Primo Ratione materiæ si contineant luxuriosa, obscena, satyrica. S. Thomas 2. 2. *quæst. 167. art. 2. & quæst. 168. art. 3.* Menochius de *arb. casu 69. num. 28. & 29.* Sanchez de *Matrim. lib. 9. disput. 46. num. 41. & 42.* Paul. Comitoli *lib. 5. quæst. 11. num. 4.* Secundo ratione loci, ut si recitentur in Ecclesiis. *dict. cap. Cum decorem, & Clem. 1. & utrobique Glossa & DD. de Celebrat. Missar. ut non multo ante factum est Brixia;* sed descendit ignis maximus ultor. Tertiò ratione temporis, nempe in Quadragesima, & diebus festivis, præcipue solemniioribus Paschatis, & Pentecostes, ac Deiparæ. *l. fin. C. de Fer. cap. Quadragesima dist. 4. & de Consecr. dist. 5. Julius Chartar. Criminal. decis. 2. num. 57. & sunt rex. in cap. Irreligiosa. de consecr. dist. 3. & cap. Qui die de Consecr. dist. 1.* Quod, 4 heu! male servatur Paduz; & proinde inundationes, & tempestates frequentes. Quarto ratione personarum, si comœdias, etsi honestas, recitent clerici, *4. cap. Cum decorem cap. Clerici, de Vita, & honest. clericor. cap. Unico eod. tit. in 6. Concil. Trident. sess. 22. cap. 10. & sess. 24. cap. 12. Carol. de Grassis de Effect. Cleric. Effect. 1. num. 1234.* Et propterea histriones clerici, seu Comici sunt irregulares, *cap. 1. & cap. 3. § 1. distinct. cap. Maritum. 33. dist. Bellett. disquis. Cl. ric. part. 1. §. 10. num. 81, & sic incapaces sunt ordinum, & beneficiorum.* Garzias de *Benefic. part. 7. cap. 8. num. 4. & 5.* & amittunt privilegium tum clericale tum canonis. Ricciullus de *Personis, quæ in statu reprobo versant. lib. 5. cap. 13. ubi cumulat text. & DD.*

His præmissis, casui respondentes dixere; tantam esse comœdiarum inhonestarum perniciem in animabus, quantam Maleficiorum in corporibus. Quandoquidem sicut triplex est Maleficium; Amatorium, Hostile, & Somniferum; Martin. Delrio *Magie. disquis. lib. 3. part. 1. quæst. 1.* horum omnium effectus pessimos Comœdiæ inhonestæ producunt. Amatorium maleficium magnitudine amoris amantes in furorem vertit. Idem agunt comœdiæ; unde ait Minut. in octav. *Enervis histrio, amorem dum fingit, infligit.* Et de se testatur Divus Augustinus *lib. 3. Confess. cap. 1.* *Rapiebant me spectacula theatrica plena imaginibus miseriæ mearum. somnibus ignis mei; quare exclamavit S. Isidor. lib. 3. de sum. bono cap. 3. contra*

histriones: *Per oblectamenta inanum fabularum mentem excitant ad incentiva libidinem.* Et post consimilem invektivam S. Cyprian. *lib. 2. Epist. 2. concludit: Quare jam nunc, an possit esse, qui spectat, integer; vel pudicus? Nec omittendum quod scripsit Petrarcha de remed. utriusque fortun. videlicet, Pudicitiam in spectaculis sepe stritam, semper impulsam; multarum mulierum ibi famam perisse: plures inde in domum impudicas: plures ambiguas rediisse; castiorem verò nullam.* Ita refert Ricciull. *cit. lib. 5. cap. 2. num. 5.*

Maleficium hostile ad offensionem tum corporalis vitæ, tum bonorum temporalium dirigitur, at inhonestæ Comœdiæ ad perditionem spiritualis vitæ, & hereditatis æternæ. Tres sunt animarum hostes: Mundus, Caro, Diabolus, & his tribus arma ministrant, famulantur, & juvant histriones in perniciem animarum ampliores; nam, ut ait Salvianus Episcopus de *Gubern. lib. 6. In Theatris nihil horum reatu vacat; quia, & concupiscentiis animus, & auditu aures, & aspectu oculi polluantur; & quod Mundus fatagit longo usu insinuare, caro diversis temporibus apprehendere, & diabolus variis argumentis suadere: id unica inhonestæ comœdiæ, uno die, in cordibus audientium, & spectatorum imprimit, testante Seneca Epistol. 7. Quod, Nihil tam damnosum bonis moribus, quam in aliquo spectaculo desiderare: tunc enim per voluptatem facilius vitia subrepunt.* Et bene protestante D. Clem. Alexand. *lib. 3. Pedag. cap. 11. Quod, Non inconcinne Theatra Cathedram pestilentia quis vocet.*

Somniferum tandem Maleficium astruitur ad 10 inducendam profundam dormitionem, qua durante fures prædari valeant, ut eleganti exemplo demonstrat Martin. Delrius *dict. lib. 3. p. 1. quæst. 2.* Simile agunt inhonestæ scenicæ representationes, quarum delectatio obdormire facit spectantium mentes, ne damnationis æternæ pericula videant juxta illud *Sapient. 4. 12. Fascinatio nugacitatis obscurat bonam.* Et nihilominus formifero hoc maleficio opprimuntur tum qui illas vetare deberent, & sinunt; & qui fugere jure tenentur, & frequentant, ita ut ad omnes cum Apostolo *Gal. 3. 1. fucclamare liceat: O infensati, quis vos fascinavit? vel potius cum Divo Augustino in Psalm. 50. Deprecanda est misericordia Dei, ut donet intellectum ad ista damnanda, affectum ad fugienda, misericordiam ad ignoscenda.*

Ultimò tria docuere motiva fideles omnes, ut 11 putrescentes horreant comœdias. 1. Quia his in specie quilibet abrenunciavit in baptismo. S. Salvianus de *Provid. l. 6. Quomodo, ô Christiane, post baptismum sequeris, quod opus esse Diaboli confiteris? In spectaculis quadam apostasia fidei est.* 2. Quia ad obtinendam culpæ, quibus magno numero opprimimur, remissionem, opus est penitentia, non solatiis. S. Joan. Chrysost. *hom. 6. in Matth. Lacrymis tantum penitentia promittitur remissio, & inter hac Theatra sectamur.* 3. Quia non satis est præservare se a consensu; sufficit enim conventus ad participandam impudicorum histrionum malitiam, & iniquitatem. S. Salvianus d. l. 6. de *Provid. Sole spectaculorum impuritates sunt, quæ unum admodum faciunt & agentium & aspicientium crimen.* Quod latius prolequitur in elaborato, ac percelebri *cit. serm. 31. par. 3. Christ. Instr. Paulus Segner Ricciull. d. l. 5. per totum. Hierolexic. in Verb. Amen. Julius Mazzarin. super Ps. 50. disc. 58. P. Jo. Stephan. Menoch in Histor.*

Histor. Miscell. p. 1. num. 88. & num. 219. ubi ex Lactan. Firmian. lib. 6. cap. 20. Ita concludit: Virando ergo spectacula omnia, ne ejus nos voluptatis consuetudo delinuat, & à Deo, atque à bonis operibus avertat.

DECISIO CXLI.

ARGUMENTUM.

Dilucidat præfens Decisio. Quid, & Quotuplex sit Mendacium, & Quale peccatum? An aliquando liceat dicere mendacium? An ad celandam veritatem in aliquo casu sit licitum adhibere restrictiones mentales; sive Verba æquivoca, aut amphibologica? Quæ mala eveniant à mendacio? Quibus industriis Parocho utendum, ut fideles abstinere, & abhorere faciat à mendaciis?

SUMMARIUM.

1. Mendacium quid sit?
2. Quotuplex?
3. Mendacium an semper sit peccatum?
4. Mendacium jocosum, & officiosum cum Juramento est mortale.
5. Mendacium semper illicitum.
6. Restrictiones mentales non excusant à mendacio.
7. Fagnanus fuit Fiscalis acerrimus contra Propositiones damnatas.
8. Amphibologiis an uti liceat ad celandam veritatem?
9. S. Francisci dictum Amphibologicum.
10. Veritatem omnem manifestare aliquando non tenemur.
11. Sancti Athanasii responsio Amphibologica.
12. Amphibologia illicita in confessione fidei, vel ubi agitur de damno proximi.
13. Rustici cujusdam Amphibologia perniciosa, & punita.
14. Veritas in judicio non est occultanda.
15. Reus quando possit tacere veritatem Judici?
16. Index debet Reum certum facere de indiciis, & probationibus contra eum in processu existentibus.
17. Marcus Marchianus Abbas, & Episcopus Fel-trensis laudatus.
18. Mendacii damna tria.
19. Eudoxia Imperatricis mendacium de pomi esu.

1. **D**ixere: Quod mentiri sit contra mentem ire, ex S. August. lib. 1. contra mendacium cap. 42. & ideo ipse S. Doctor ait, quod Mendacium sit enunciatio falsa cum voluntate ad fallendum prolata; nam duo requiruntur ad rationem mendacii; unum est voluntas fallendi, seu falsum enunciandi; alterum est locutio exterior contraria judicio mentis. S. Thom. 2. 2. quæst. 110. art. 1. Mastrius in Theol. Mor. disput. 11. num. 166. Navar. in Man. cap. 18. num. 3. Layman. lib. 4. tract. 3. cap. 13. & passim omnes. Triplex autem est mendacium: Jocosum, causa recreationis, Officiosum, animo rem gratam faciendi amico, & Perniciosum, quando alicui obest. Cardin. Tolet. lib. 8. cap. 54. num. 3. Summa Dian. Verb. Mendacium; & quodcumque mendacium tripliciter consideratur, & appellatur. Formale tantum, dum quis dicit verum, quod putat esse falsum. Materiale tantum, quando quis profert falsum, quod putat esse verum. Mixtum, dum quis effatur falsum sciens esse falsum. Navar. d. cap. 18. num. 3. & Mastrius dict. disput. 11. num. 166.

Porro mendacium semper est peccatum, quia actus includens intentionem malam nunquam potest esse bonus, cum formaliter includat malum velle, & hujusmodi est mendacium. S. Thom. 2. 2. quæst. 110. art. 3. Scotus in 3. sentent. d. 38. quæst. Unicalit. A. & ibi S. Bonaventura quæst. 2. num. 25. & 26. ubi docet, tantam esse malitiam, & inordinationem mendacii, ut Deus non possit illud licitum reddere (& idem est in odio Dei) quamvis posset Deus, si vellet, auferre malitiam in furto, in homicidio, in fornicatione, ita ut nullum esset peccatum furari, occidere, & fornicari; quod etiam latissime probat Suarez de legib. lib. 2. cap. 15. per totum; & Fagnanus in c. Falsidicus num. 58. de crimine falsi tom. 6. pag. 311. Est autem veniale peccatum mendacium jocosum, & officiosum absque juramento c. Ne quis arbitretur f. Duo sunt omnino genera 22. quæst. 2. Glossa ultima in c. Nec artificioso, ibid. At si affirmetur cum juramento, sit peccatum mortale, c. In novo & c. ultim. 22. quæst. 1. Prout etiam mortale est mendacium perniciosum sine juramento, si de re gravi sit; & eo magis cum juramento. Ex his sequitur, quod nunquam liceat dicere mendacium, neque pro vita tuenda; unde scriptum est, Noli velle mentiri omne mendacium, Eccles. 7. Nam Os, quod mentitur, occidit animam. Sapient. 1. 11. Et Qui loquitur mendacia, peribit. Prov. 19. 9. Hinc Apostolus hortatur fideles dicens; Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam estis invicem membra. Ephes. 4. 25. Imminet enim perditio aterna. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Psalm. 5. Et omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti, igne, & sulphure. Apoc. 21. S. Thom. 2. 2. quæst. 110. art. 3. ad Tertium.

Quamvis autem aliquando liceat tacere veritatem extra judicium, & citra præjudicium alterius ob rationabilem causam c. Utilem. & cap. seq. 22. quæst. 2. S. Thom. 2. 2. quæst. 111. art. 1. & S. Antonin. in summa p. 4. tit. 10. cap. 1. col. 5. Attamen in nullo casu est licitum ad veritatem celandam adhibere restrictiones mentales pro excusando mendacio; siquidem olim fuit magna scribentium de hac re concertatio, in qua plurimi opinabantur, nullam fuisse culpam jurare id, quod falsum est secundum vocis significationem, subaudiendo implicite aliquid in mente, quod efficiat sensum verum, ut affectis relatis tenebat Sanchez super Decalog. tom. 1. lib. 3. cap. 6. num. 15. & Sancius in Selectis disput. 43. num. 29. & disput. 46. num. 17. At hodie ipsius Sanchez, Sancio, & aliorum asseclarum doctrinam, & in hac re opinionem tanquam erroneam damnavit Summus Pontifex Innocentius Undecimus per suum Decretum die 2. Mensis Martii 1679. in Proposit. 26. quod legitur etiam impressum post novissimam Busembei impressionem pag. 600. Prædicta Propositio 26. damnata ita asserbat: Si quis vel Solus, vel coram aliis sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio sine juret, se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec est perjurus. Eandem reperiet studiosus Lector apud mea Erotemata in fin. p. 427. Quare cavendum est ab exemplis relatis per Doctores, à quibus dicta damnata opinio defendebatur, nominatos præcipue à Fagnano (qui fuit fiscalis acerrimus

con-